

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

§. IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

munissimo in sacris usu, intelligendum esse, existimo. Patebit id cuius ad oculum, ex iis, quae inferius in medium proferentur. Hic saltem subiicio loca, ubi contrarium reperitur, *Gen.* nempe *XXXIV-30. Exod. V-21. 1. Sam. XIV. 4. &c.* In his enim locis si foetidum quenquam reddere, idem est ac exosum, taediumque reddere, certe e contrario bonum odorem, voluptatem, quam de quopiam capere possum, significare, certo certius constabit.

§. III. *Bona fragrantia*, graecis dicitur *εὐωδία*, descendens ab *eu bene*, & *ὄζω oleo*; diciturque proprie de rebus bonum odorem spirantibus. At in sacris literis, per metaphoram frequentissime usurpatur de iis rebus, quae sunt gratiae & acceptae, ut coincidat cum voce *εὐδοκία*. Deo tribuitur per metaphoram sacram, quam *ἀνθρωποπάθειαν* dicunt doctores: *θεοπροπέως* autem intelligi debet.

§. IV. Quis enim, quaeso, odoris boni effectus primus ac praecipuus est in hominum naribus? Nullus certe alius, quam delectatio quaedam salutaris, ac refocillatio, nec non spirituum animalium in cerebro, totoque hu-

mano corpore, corroboratio. Ob suauitatem enim particulae odoriferae per nares irruendo cerebrum demulcent, spiritus animales augent, sopitos autem in eodem, & a quacunque causa stupefactos, recreant, ac agiles reddunt, ita vt interdum suauitate odorum exanimis etiam reuocentur, quia naturae humanae gratus est odor bonus, & acceptus. Accensa itaque thymiamata, vel alia odoramenta, quae fumos fragrantis exhalant, halitusque suaues spirant, amamus, iisque oblectamur, quippe quae venenatos vapores ac foetores dissipant & expellunt. Foetor contra vehementissime offendit naturam, & prosternit nonnunquam, mortemque infert: ita, vt, si foetorem tormentum & cruciatum dixeris, a vero non aberraueris. Hinc cadauera, ac singula graueolentia celerrime ac procul fugimus. Ex dictis liquido constat, bonam fragrantiam denotare posse, delectationem, siue voluptatem singularem, quam proxime efficit.

§. V. *Euidia* rarius quidem absolute in sacris ponitur literis, fere tamen adiunctam habet vocem *ὄσμην*, ex linguae idiotismo non sine